possessio juris sui coram judice. Jam actio alia est realis, alia personalis,
illa vocatur vindicatio, haec condictio. utriusque actionis exemplum paulo ante
datum est. actionis realis species sunt 1o. vindicatio specialiter accepta, qua quis
suam rem corporalem repetit. actio confessoria, qua instituitur ad servitutes
vindicandas. actio negatoria ad obtinendam immunitatem à servitute.
actio publiciana, ad repetendam possessionem rei bonâ fide possideri coeptae.
actio rescissoria ad repetendam rem, consumptâ praescriptione actrig ob absentiam
actoris. actio pauliana, quae datur creditoribus pro rebus in fraudem ipsorum
abalienatis. actio serviana, qua dominus directus petit res à conductore, vel
colono in praedium locatum illatas, sibique pro pensione, et assecuratione
tacitè obligatas. actio quasi serviana, seu hypothecaria, qua creditor
pignus, et hypothecam repetit. Actiones personales sunt plures.
Sed haec, et plura alia potius ad juristas pertinent.

Jus activum strictum definiri potest, quod sit legitima facultas 302.
circa rem obligativa aliorum ad non contraveniendum, quo si violetur, induci-
tur se restitutionis onus, quatenus est ex parte tituli legitimantis eam fa-
cultatem. Explico. dicitur legitima facultas, h. e. quae lege foveatur. nam
jus est mensura justi et debiti; justum autem et debitum est tale per conformitatem
ad legem. unde juri activo, quod respicitur à justitia, debet adjacere favora-
bilis aliqua lex, sive sit naturalis, sive positiva. dicitur circa rem, ut com-
prehendatur jus ad rem, et jus in re. res, circa quam est jus, est vel corporalis,
vel spiritualis. res corporalis est, quae sensibus, et maxime tactu percipitur, ut liber,
equus, ager. res autem spiritualis, quae solâ mente apprehenditur, ut census, servitus.

Dicitur obligativa aliorum ad non contraveniendum, h. e. ad non impe- 303.
diendam rei obtentionem, si sit jus in re, et ad non impediendam de re dis-
positionem. nam jus, quod favet alicui, quatenus illi favet, gravat alios. alii
enim debent servare illaesum jus illud, alioquin contradicent legi, quâ jus acti-
vum fovetur. quaecunque dicta sunt conveniunt juri lato, quod respicitur
ab obedientia, fidelitate, et similibus virtutibus; ac proinde illa continent praedica-
tum generum juris stricti. quae vero explicanda supersunt, continent praedi-
catum differentiale, et conveniunt soli stricto juri, quod respicit stricta justitia.

Igitur facultas circa rem, quod est jus strictum, talis est, ut si viola- 304.
letur, inducat se restitutionis onus. hoc est proprium juris stricti, consulitur prob:
logia nulla alia virtus nisi stricta justitia, obligat ad restitutionem, si violetur,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII72/0403

gefördert durch
Baden-Württemberg